



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Hortulus Biblico-Moralis Et Asceticus

Pappus von Tratzberg, Franz

Ulm, 1725

Fasciculus I. Doctrinam Moralium & Asceticarum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61252](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61252)



FASCICULUS I.

Doctrinarum Moralium & Asceticarum.

Doctrina I.

Desumpta ex cap. I. lib. Genesis, in quo describitur sextidiana totius mundi creatio. Adami in cuncta Dominium.

Considera



Uòd DEUS creatis cælò & terrâ, sole & lunâ, piscibûs & volucribûs, jumentis & bestiis, ultimò tandem creans hominem egerit artis suæ peritissimum Oratorem, qui brevi Epilogo, tanquam totius Orationis Compendio, includit ea, quæ per alias partes fusiùs discusserat: hac de causa Homo *Microcosmus* dicitur. Nec hoc suffecerat exornando tam nobili artificio; etiam supremi Conditoris Imaginem circumferre debuit, ut præfatas creaturas non includeret tantum, sed millenis gradibûs excelleret, ipsis paulò minor factus Angelis teste Prophetâ Regiò Psal. 8. quare, etfi alia omnipotentia suæ opera, ut benè elaborata, approbet DEUS, de solo tamen profitetur homine: *Delectabar per singulos dies, ludens in orbe terrarum, & delicia mea esse cum filiis hominum.* Prov. 8. Agnosce ergo Christiane Lector præstantissimæ tuæ naturæ Dignitatem: age debitas pro tantis gratis gratias, de die sæpiùs te alloquens verbis Christi Matth. 22. quærentis: *Cujus est Imago hæc?* Nónne illius, cui nulla unquam dominatur superbia? quem nulla excæcat libido? nulla immitem facit avaritia? nulla exasperat ira? nulla enervat acedia? sed qui teste

N.I.

A

Ascetâ

Ascetâ lib. 3. de imit. Chri. cap. 40. *Est semper bonus & sanctus, bene & justè agens omnia, & disponens in sapientia.* Hanc imaginem piò mentis oculò inspicere, & divinæ Cooperans gratiæ, fac secundum Exemplar, quod tibi in ea monstratur, obtemperandò monitis S. Greg. Nyss. Orat. 1. suprâ illud: *Faciamus hominem ad imaginem &c.* scribentis: non ait DEUS: faciamus hominem ad imaginem nostram, ut irascatur, concupiscat, & mœreat; perturbationes enim non cadunt in imaginem DEI, sed Ratio perturbationum Moderatrix & Domina. Ad imperandum natus est homo: Quid ergo perturbationibus servis? cur Dignitatem tuam abjicis? &c.

- N.2. Dic quæso: annon indigneris Soli, clarissimo hujus mundi oculo, si vel unicâ horâ eclipsim patiens, à scopo suo, ad quem à DEO creatus est, aberret? dic: annon indigneris terræ, si ex semine in se projecto paucos vel semel tantum protrudat fructus? & tibi non indigneris, si à fine, quem intua creatione tibi præfixit Deus, totò cælò devians, inordinatis passionibus succumbas? ò te miseram & infelicem animam, quæ tam liberalem fugiens Dominum, tot Tyrannis in servam te tradis! an nescis, summam gloriam esse, gloriari in solo Rege gloriæ? an ignoras, summum esse bonum, illum tantummodò quærere in omnibus, qui solus omne bonum? ex tot creaturis, quas hoc S. Scripturæ caput à DEO conditas testatur, nullam reperire est, quæ suò desit officiò: Sol enim numquam non præstet diei, Luna cum stellis numquam non nocti. Numquam non natant in aquis pisces, in aère nunquam non volant volucres, nunquam non discunt feræ per sylvas. Cunctis æstatibus surgunt è terra flores & herbæ, nascuntur ex arboribus fructus: *Ascendunt montes, & descendunt campi in locum, quem fundasti eis, terminum posuisti, quem non transgredientur.* Psal. 103. Solus homo inobediens factori suo, metam suam transeat? declinet tam enormiter à centro? eja agnoscens tandem errorem tuum, revertere, & dic cum Josepho, à Patre suo vocato Genes. 37. *presto sum, ad serviendum tibi soli, tantum adjutor meus esto, ne derelinquas me, neque despicias me DEUS salutaris meus.* Psal. 26. *Da, quod jubes, & jube quod vis.* S. August.

Doctri-

Doctrina 2.

Desumpta ex cap. 2. Genes. in quo describitur Paradisus voluptatis & Eva formatio.

Considera, **A** Nimam hominis piè viventis alterum esse Paradisum *N.3.*
voluptatis, in quo frequens memoria Passionis Sanctæque Crucis vices agit *arboris vitæ*. Dictamen autem conscientia, præscribens: quid boni agendum, malivè vitandum, se habet in eo instar arboris *scientiæ boni & mali*. Fons irrigans hunc Paradisum divina est *gratia*. Quatuor flumina sunt quatuor virtutes cardinales. *Adamus dormiens* est tuta & criminis expertus conscientia, ex qua instar Evæ educuntur spirituales consolationes, tam bonæ animæ jugi vinculo sociandæ. Hæc exactius perpendens Christiane, in illud totus incumbas, ut & anima quoque tua, à peccatis & inordinatis passionibus purgata, in talem Paradisum voluptatis convertatur, quem secundus Adam Christus Dominus perpetuò inhabitet.

Perpende adhæc felicissimum hominis in terrestri Paradiso olim existentis, vitæ statum, vî cujus sinè ulla corporis & animæ miseria longissimos vitæ duxisset dies, aliquando transferendus in Cælum empyreum. Ibidem planè quidquid oculis delectabile, quidquid amænium auribus, aut gustui suave recreandis serviebat sensibus, pensa econtrariò miserriam hujus vitæ conditionem, quæ post lapsum Adami nos omnes afficit: & è Paradiso cum protoparente exclusus, te ipsum interroga: *Adam ubi es?* nōne in valle lacrymarum? in sentina mille malorum? ubi inter continuos labores & dolores vivitur: ubi anima ceu inquietum mare ab innumeris passionibus æstuat: ubi nullum sinè mœrore gaudium, sinè invidia bonum, sinè bello nulla tranquillitas, sinè morte vita. *Qui* eras gemma, divini Conditoris manu pulcherrimè elaborata, nunc jaces in luto & putredine deterrimè fœdata. *Qui* habebas universam rerum naturam tuis pedibus subjectam, eò abiectionis devolutus es, ut summa tui cum vilitate infimis mundi creaturis servias. Voluntariâ ignorantia obfuscatu DEI monita calcas pedibus. Omnî studiò sensuum venaris voluptates; gaudia Spiritûs intollerabili cum contemptu repudias: amoribus creaturarum ardens DEUM fastidis creatorem: fugiens veritatis lucem, post umbras curris, cupiens hîc perpetuò vivere, de sempiterna vita vix semel cogitas. Ah! noli vultum illum respicere augustum, quem à DEO accepisti, noli respicere magnifica

corporis lineamenta, hæc enim omnia nil aliud modò sunt, quàm corruptionis ludibria, morborum pabula, mortis tributa.

Vide: quàm sis inordinatus in spiritu, in sensibus cæcus, bestialis in affectibus, in cognitionibus vanus, temerarius in judiciis. Vide: quàm ingratus sis ad beneficia, ad pia monita surdus, refractarius ad flagella, perfidus in promissis, instabilis in propositis, velox ad culpas, tardus ad virtutes, durus ad gratiam, immobilis ad minas. O quàm sapienti calamò te Sapientùm Princeps Aristoteles depinxit, apud Sto-bæum Serm. 96. differens: hominem esse imbecillitatis exemplum, temporis spoliū, fortuna ludum, mutationis imaginem, invidia & calamitatis trutinam, pituitam & bilem. Quin imò Philoni Philosopho, teste Clemente Alexandrinò, ad eò visus es calamitosus, ut nullò nomine te duxerit dignum quàm pura calamitatis: quivis homo nihil aliud est, quàm pura calamitas. Dic ergo vitæ ad eò calamitosæ pertæsus cum Paulo: quis me liberabit de corpore mortis hujus? & vive taliter, ut cum terrestri Paradiso expulsus in hanc miseriarum vallem devolutus sis, saltem assequaris Paradisum cælestem, quem Christus Dominus suâ passione & cruce reseravit,

Doctrina 3.

Desumpta ex cap. 3. Genes. in quo describitur serpentis dolosi suggestio, Protoparentum nostrorum lapsus & pœna.

N. 5. Considera 1. **P**Hantasiam, immortificati, sensusque suos malè custodientis Christiani esse alteram Evam, à Dæmone deceptam & turpissimè victam: ad eò quidem, ut ad pomi à Deo vetiti esum, videlicet ad rerum à Deo prohibitarum usum intellectum & voluntatem hominis alliciat sæpeque ita superet: ut spretò Dei imperiò fruatur creaturis in summum creatoris contemptum, inde sentiens celerem offensi Numinis vindictam, vî cuius exuatur vitâ gratiæ, excludatur è Paradiso cælestis Patriæ, & exiliò æternæ damnationis puniatur. O quàm igitur mortificatum te esse oportet Christiane! ut non etiam à Dæmone tentante deceptus vincaris, parem subiturus pœnam. *Castiga corpus tuum*, hortatur S. August. in 1. Corinth. cap. 9. & *Diabolum vinces*. Castiga oculos, ne curiosè sese effundant in objecta quævis obvia: sunt enim portæ per quas ingreditur hostis ad deprædandam animam, illud deplorante Jeremiâ Thren. 3. *Oculus*

lus meus depraedatus est animam meam. Sunt fenestræ, per quas ascendunt fures ad rapiendum & mactandum. Hi spoliârunt Protoparentes nostros divinâ gratiâ, Dinam Virginitate, uxorem Loth vitâ. Castiga aures tuas, ne verba audiant impura, detractoria &c. Qui fabulis obscænisque carminibus vel detractionibus aurem libenter aperit, hanc anima sue portam mortis efficit Venerab. Beda in Lucæ cap. 7. Quid aliud prava locutio, quàm semen diaboli, quod vix ingestum animæ multiplices peccatorum fructus parturit. Quid impuri sermones auribus excepti, nisi sordidi limaces, qui viscosa & lubrica post se relinquunt vestigia? quid vana colloquia per aures in cor transmissa, nisi clavus, quò anima christiani à memoria cælestium rerum abducta, rebus terrenis penitus affigitur? castiga guttur tuum, ne fiat gulæ mancipium, sat gnarus, gulam Paradisum clausisse, vendidisse primogenita, suspendisse pistorem, decollasse Baptistam, evertisse sub Nabuzardan principe Jerosolymam, Balthasarum inter epulas necasse; ut alia taceam crudelitatis trophæa, quæ hæc non sat mortificata passio olim erexit erigitque etiamnum hodie. Sensum tactûs ante ceteros omnes castiga, utpote iis omnibus periculosissimum: hic enim cum objectis illicitis proximè conjunctus totò corpore diffunditur: omnibus membris communis, quasi omnium malitiam in se recipit. Audi Basilium de eo differentem: *Tactus est omnium sensuum perniciosissimus & sapissimè blandiens; sensusque reliquos ad voluptatis illecebras pelliciens, totò corpore diffusus, & per omnem ejus superficiem adversus animam sæpe dominatur.*

Considera 2. Quòd licet callidissimus ille serpens, Protoparen. N.6. tum nostrorum seductor, jam gloriose victus sit à Christo Domino: attamen nostrâ culpâ vires acquirat copiamque ad nos tentandos. Cumque sciat, nos longâ & quotidianâ experienciâ doctos non amplius dubitare de futura morte corporis; hinc verba illa, quibus incautos protoparentes nostros decepit, nonnihil immutata, adeò calidè proponit, ut dicat nobis: *non moriemini saltem hoc annò, hoc mense, hoc die, &c.* Sed ob corporis robusti fanitatem, ob ætatis vigorem, ob Dei infinitam Misericordiam, nolentis mortem peccatoris, sed ut magis convertatur, & vivat, adhuc aderit sufficiens occasio ad poenitendum. Et proh dolor! tam facile contingit, nos tot hominum insperatâ morte decedentium exemplis non sat deterritos, assensum præbere blando tentatori, & quandoque alios parî doctrinâ seducere. *Hæc est cecitas humana, ait Bellarminus in Psal. 48. ut cum quotidie videamus morien-*

rientes homines nobis etiam meliores & juniores : tamen vix adduci possumus, ut cogitemus, nos etiam morituros. Meritò providum dixerim Davidem, quòd cinere, mortis videlicet quotidianam memoriã, haud aliter quàm pane pasceretur : Cinerem tanquam panem manducabam. Quando re aliqua frequenter utimur, proverbialiter de ea loquimur : re tali haud aliter, quàm pane indigeo : ita quoque David mortis, sibi omni hora imminentis memoriã, veluti quotidiani panis usum necessariam sibi duxerat. Sed quid de Davide dicam ? ipsi Barbari & Idololatrarum exemplò suò nobis christianis confusio sunt, quos inter non paucos reperire fuit, qui mortem sibi quotidie habuerant suspectam : nam *Elianò teste lib. 8.* Philippus Rex Macedonum negotium dedit puero, ut quotidie è lecto surgenti diceret : *Rex ! homo es, vive memor lethi, & Ptolomæus Ægyptius semper calvariam penes se vel in mediis etiam epulis habuit, ne mortis illi ullò tempore excideret memoria : quin & Ministrum sibi identidem occinere voluit : Rex inspice, talis eris.*

Doctrina 4.

Desumpta ex cap. 4. Genes. in quo describitur Abelis innocentis mors, Caini fratricida pœna.

N.7. Considera I. **Q**Uam infelix fuerit conjugium Protoparentum nostrorum, dum pro primo generationis fructu habuit filium, qui stimulante invidiã eò crudelitatis devenit, ut innoxio fratris piissimi sanguine manus suas scedaverit. Sed forsan æquè infelix datur conjugium inter corpus & animam tuam, quod ordinatum est ad generandas variarum virtutum masculas proles, videlicet ad generandam patientiam in adversis, humilitatem in prosperis, pietatem & devotionem in templis, mansuetudinem in conversatione humana &c. Verùm ejusmodi intentos fructus vel non producit, vel productos patitur à vana gloria suffocari : nam quasi latrunculus teste *S. Greg. Mag. lib. 22. Moral. est appetitus laudis humana, qui rectò itinere gradientibus ex latere jungitur, ut ex occultis eductò gladio gradientium vita trucidetur.* Planè sicut columbæ, celerè pennam in altum elata, dum de volatu quasi sibi applaudunt, subito rapiuntur ab accipitre, & unguibus lacerata intereunt, ita evenit hominibus, qui de prognatis virtutum actibus sibi applausum faciunt ; vix enim nati pereunt ejusmodi

di actus, vanâ gloriâ accipitrem agente. Noverat hoc providus David, & hinc psalmô 138. exclamat: & *substantia mea in inferioribus terra*, quasi diceret: quidquid bonorum operum, quidquid solidæ virtutis produco, oculis hominum subduco, ne dum in apertum prodeant, vanæ gloriæ laudique subsint, à qua valorem roburque suum perdant. Si incolæ Galatiæ Davidem essent imitati, non evenisset eis tam grande infortunium, quod vix non sanguineis deplorat lacrymâs Paulus Apostolus dicens: *O insensati Galatæ! quis vos fascinavit, non obedire veritati?* quæ verba expendens Doctor angelicus asserit; ea alludere ad id, quod formosis & elegantibus puerulis, extra domos abductis sæpius evenit, ut nimirum obviam facti oculis vetulæ, quasi venenô inficiantur, & inde infirmati evomant cibos. Hinc Paulus suis quoque Galatis, à se nuper spiritualiter progenitis, non dispar damnum evenisse lamentatur; dum enim vanæ laudis avidi, virtutes suas hominum oculis objecerint, eas penitus perdiderint, & in antiquos errores & vitia prolapsi, quidquid veræ Fidei, quidquid solidæ virtutis nutriverint in corde, unô impetu ejecerint. *Inanis gloria*, ait S. Basilius Const. Monast. cap. 10. *Est dulcis Spiritualium operum exspoliatrix, jucundus animarum hostis, blandissima bonorum nostrorum depradatrix; eademque mellis illitu, fraudis sua collatrix, & mortiferi hominum mentibus poculi porrectrix.* O quis tam stolidus, tam cæcus sit, ut hoc venenô sese ingurgitet?

Considera 2. Christiane, quàm parum impunita maneant crimina; etsi enim Deus, per suam misericordiam adactus illa non vindicaret; creaturæ tamen etiam insensibiles & irrationales vices ultoris agerent, dum terra innocentî Abelis sanguine madefacta, tam barbarum, tam immane facinus, à fratre in fratrem perpetratum teste S. Scripturâ hujus cap. V. 10. non potuit inultum perpeti. Time ergo celerem vindictam, etiamsi inter occultissimas latebras ad aliquod crimen committendum tenteris: ipsi enim lapides & ligna clamabunt adversus te vindictam. Semper tibi cum Jeremia imagineris cap. 1. *videre te virgam vigilantem*, quæ, si in delictum consenseris, te ocius percussura sit. Dic cum Susanna Danielis 3. *Si hoc egero, mors mihi est.* Cogita cum Davide Psal. 7. *Arcum suum tetendit, & paravit illum, & in eo paravit vasa mortis.*

FASCI-